

Peccati non esse reos; quia recte gerendi
Non data sit virtus, &c.

De parvulis autem, qui sacro Baptismatis fonte non abluti decedunt, quid senserit, docent sequentes cap. 31. versus.

Et tamen ex istis miseratrix gratia quosdam
Eligit: & rursus genitos Baptismate transfert
In regnum eternum, multis in morte relictis,
Quorum causa fuit similis de vulnere eodem.
Nec meritis istud poteris aptare parentum,
Ceu pia profuerit redimendis cura bonorum,
Abstuleritque aliis aliena ignorantia vitam;
Cum videas multos, Sanctis genitoribus ortos,
Nullo salvari studio potuisse suorum.

Cæterum, num forte de Schola Thomistica, atque Sorbonica aliqui fuerint, qui internas sufficientes gratias ipsis etiam obduratis præsto esse, dixerint, ne, si iis destituti supponerentur, culpa vacarent; expendere non vacat. De S. Augustini, ac D. Thomæ mente, una hic mihi cura fuit; quod alios interdum suos pati manes, certo sciam. Dicam tamen, Thomistica Scholæ Theologos, si qui forte ita statuisse inveniantur, longe adhuc a Moliniano Systemate, & a Peccati Philosophici errore distare: & quidem duplici de causa. Primo, cum gratiam sufficientem duplicem statuat Angelica Schola, habitualement unam, actualem alteram; priorem in quadam qualitate sitam, quæ facultatem instar prioris dispositionis elevet, bonisque actibus exercendis remota potentem efficiat; alteram in actualibus illustrationibus, excitationibus, desiderijs, ac motibus positam, quæ mentem, ac voluntatem identidem pulsent; Thomisticis aliquibus laxioribus visum est, priorem peccatis imputandis necessariam esse, atque adeo induratis ipsis, & infidelibus asfulgere, ne alias peccato vacarent, si præceptorum implendorum impotentia laborarent; nec satis attenderunt, ex S. Augustini, ac D. Thomæ principiis, nihil peccatis imputandis impotentiam illam obesse, quæ propria, ac libera iniquitate contracta est. Attamen ut ut est, de gratia suffi-

cienti actuali longe aliter statuerunt, ut errorem effugerent. Verum Molinianæ Scholæ dictatores, quos exagitando aggressi sumus, utramque gratiam imputando peccato necessariam obdunt. Hinc illa Baunii Propositio, a Clero Gallicano, & Academia Parisiensi proscripta: Nunquam peccatur, nisi prævia peccati cognitione animus illustretur, & ipsius vitandi desiderio exstimuletur. Hinc illa Francisci Annati in libello, quem postremum adversus Arnaldum elaboravit, pag. 34. Qui nullam de Deo, vel peccatis cognitionem habet, & nullo modo apprehendit, amoris Dei, & contritionis actus sibi ex præcepto exercendos, nullam hic habet gratiam actualem: sed illud non minus verum est, horum actuum omissione nullum ab ipso peccatum admitti; nec si damnetur, propterea damnari posse. . . . Quod idem de culpabili commissione dici potest. Hinc ille Professoris Theologi Divionensis, ab Alexandro VHL confixus error: Peccatum Philosophicum, quantumvis grave, in eo, qui Deum vel ignorat, vel de Deo actu non cogitat, est grave peccatum; sed non est offensa Dei, neque peccatum mortale, dissolvens amicitiam Dei, neque eterna poena dignum. Hinc illa Buffierii assertio, ab Archiepiscopo Rothomagensi damnata: Attentionis animi ad actionis pravitatem necessaria est, ut peccatum imputetur. Ut alias sitam longe multas, in libello, ante annos duodecim a nobis edito, De vera Jesuitarum sententia circa Peccatum philosophicum, recensitas. En primum discriminis caput.

Secundo, cum eam sufficientem gratiam ponat Schola Thomistica, quæ ex parte potentie duntaxat sufficiat, sic ut novam insuper efficacem gratiam, re, ac natura a sufficiente distinctam, necessariam contendat, ut in actum re ipsa prorumpatur; contra vero Moliniani sufficientis gratiæ genus statuunt, quod undequaque sufficiat, nihilque novi a Deo postulandum, putant, ut integra conversio perficiatur, modo peccator sufficientem gratiam, addito consensu, reddiderit efficacem: profecto longe minoris laxitatis est, gratiam, Thomisticam sensu sufficientem, communem obduratis, & infidelibus facere, quam Moliniano.

FINIS LIBRI TERTII.



HISTORIÆ CONGREGATIONUM DE AUXILIIS DIVINÆ GRATIÆ LIBER QUARTUS.

Quo ultima Causa cognitio ab anno 1605. ad annum 1607. coram Paulo V. & Eminentissimis Cardinalibus, Generalibus Inquisitoribus, aliisque Censoribus deputatis habita, narratur;

Sententia a Pontifice decreta, est nondum ex præscripto juris promulgata, aliaque subinde secuta referuntur.

CAPUT PRIMUM.

Instant Patres Societatis, & a Magnatibus urgeri curant, ne causa sub Paulo V. resumatur.



LEMENTE VIII. ad Superos vocato, comitia pro more in Vaticano habita sunt ad Successorem eligendum. Communibus Purpurarum Principum votis, sub Sacramenti fide sancitum est, ut quisquis in Pontificem assumeretur, Auxiliorum controversiam brevi dirimeret. (1) Emulis Fratrum suffragijs, Apostolica Sedis apicem obtinuit Alexander Medices, die 1. Aprilis 1605. hora postis secunda. Verum præmatura morte sublatus, intra electionis suæ mensem, recessit antea ex hac vita, quam in Pontificatus sui labores posset ingredi.

Huic proxime successit Paulus V. die 16. Maii, qui ipsa sui electione ad eam dirimendam controversiam invitatus videbatur. Tunc etenim manifeste opere demonstratum est, quam habeat Deus voluntates hominum (quod hic præcipue controversitur) quo vult, quando vult, & quomodo vult, inclinandi, ac transferendi potestatem; dum, ad Cardinalis de Tusco electionem conspirantibus Patrum animis, mutato derепente consilio, in publicam acclamationem erumpentes, Pontificatus honorem Camillo Burghesio, Divino potius nutu, quam humano detulerunt.

Bonorum omnium spes statim fuit, ab æterno Deo, inter alia plurima, quæ per ipsam ad Ecclesiam suæ præsidium operatus esset, hoc etiam

(1) Erat Articulus 27. ex juratis.

constitutum, ut qui hæcenus Clementi Pontifici, in examinanda ista controversia, præsto fuerat, eam ipse, factus Pontifex definiret; quodque unus laboriose seminaverat, alter fructuose colligeret. Spem alebat pia Regis Catholici sollicitudo, qui, cum primum Paulum V. electum audivit, per suos in Romana Curia constitutos, Administros ardentius supplicavit, ut brevi causa constitueretur; ne quæ jam pridem in Hispanijs orta fuerant, intestini dissidii semina recrudescerent. Rei gravitatem expertus Pontifex, pedetentim incidendum, ait, omniaque pro causæ merito ponderanda. Atque idcirco multorum judicia exquirere cœpit, quid in tanto rerum discrimine agendum, quidve, pro faciendâ veritate, ac pace Hispaniæ restituenda, tentandum esset.

Hanc novi Pontificis, de ulteriori causæ tractatione subdubitantis, occasionem arripere Molina Vindicæ, ut rem totam majoribus difficultatibus involverent. Henrici IV. Francorum Regis, apud quem Cottonius, e Societate ad Confessiones nuper assumtus, singulari valebat gratia, patrocinium rogarunt, & obtinuerunt. Cardinali Perronio, suo apud Sedem Apostolicam Oratori, dedit Epistolam initio mensis Augusti, quibus periclitanti Societati omne officij genus impendi iussit, quo pendens controversiæ definitio speciosis diverticulis retardari, aut etiam impediri omnino, posset.

Regis mandatis paruit Cardinalis Perronius. Pontificem impiger adit, rei difficultates exaggeraturus. Significavit, maturius deliberandum esse, audienda cæterarum Academicarum judicia, Synodum etiam Generalem pro rei gravitate convocandam: alioquin cavendum inquit, ne Parisien.

scienſis Academia, univerſumque Gallia Regnum Apoſtolicæ deſignationi repugnarent. Quo animo conſilium Paulus exceperit, reſcripſit Henrico IV. die 7. Septembris: (1) Die Martis, (2) menſis claſſi 23. ad Pontificis audientiam admiſſum; eidemque ſignificari, quid conſilii ſcripſerit Veſtra Majeſtas circa Majoris Britannia negotia, & emergentem Dominicanos inter, & Jeſuitas controverſiam. Utinamque conſilium bono animo habuit. Sed, eſt bono animo conſilium acceperit, eo ſe tamen minime conſenti, vel moveri, exitu demonſtravit.

Fuerunt, (3) qui rem totam ſilentio involvendam, inſerent: atque ii quidem duas in partes ſcindebantur. Alii, ſepoſita doctrinae conſideratione, conſilii fui rationem petebant ex perſona iſtis, inter quas controverſia vertebatur: quæ cum magna non tantum eruditionis, ac pietatis, ſed etiam exſtimationis eſſent, timendum, inquebant, ne, ſi alterutrius partis opiniones damnantur, gravem id Eccleſiæ Dei ruinam afferret, cujus ſorte iudicio ſtare noller. Alii ex ipſarum quaſtionum conditione vim deſumebant, quas, poſthabitis Cenſorum iudiciis, earum loco, ac numero eſſe, contendebant, de quibus Cæleſtinus I. in ſua ad Episcopos Gallicanos Epistoſta ita pronuntiat: *Proſundiores vero, difficilioreſque partes incurrentium quaſtionum, quas latius pertractant, qui hereticis reſiſterunt, ſicut non audemus*

Scriptum Cardinalis Bellarmini, Paulo V. Pontifici exhibitum, De Libero Arbitrio, & gratiæ Divinae efficaciæ: cum R. P. Thomæ de Lemos

Reſponſione.

Propoſitiones 20., quæ videntur a S. Sede Apoſtolica poſſe deſiniri, ut fideles longe abſint non ſolum ab erroribus, ſed etiam a ſpecie errorum Pelagii, & Calvinii.

Reſponſio brevis, detegens illarum Propoſitionum æquivocationem, & periculum, per F. Thomam de Lemos, ad cujus manus hoc Scriptum pervenit, 4. Junii 1603.

DE VIRIBUS LIBERI ARBITRII IN NATURA LAPSA.

BELLARMINUS.

LEMOſIUS.

1. Quamvis poſſit homo ſolis natura viribus cognoſcere, & operari aliquod bonum morale; non tamen poſſet omne, etiam ſecundum ſubſtantiam operis ſolum.

2. Non poſſet homo ſolis natura viribus ſuperare ullam veram tentationem, ita ut omni ex parte victor evadat.

3. Non poſſet homo ſolis natura viribus credere myſteris fidei Chriſtianae, nec initium ejuſdem fidei ullum habere, ut oportet; id eſt, ut ſit firmus aſſenſus fidei Catholicae, ex pio aſſectu, & qualis requiritur, ut initium juſtificationis eſſe poſſit.

4. Non poſſet homo ſolis natura viribus Deum diligere, etiam ut objectum naturale, ut oportet, id eſt, ut dilectio illa excludat affectum omnium peccatorum, ſitque ultima diſpoſitio ad juſtificationem. Nec ſolum perfectionem huius pie dilectionis, ſed ne initium ejus habere poſſet homo ſolis natura viribus.

5. Non poſſet homo ſolis natura viribus de peccatis dolere, ut oportet, ita videlicet, ut dolor ille ſit diſpoſitio ad gratiam juſtificationis.

1. Iſta i. Propoſitio deficit, quia putat, opus morale, quod natura viribus tribuit, eſſe ſolum opus quoad ſubſtantiam actus; cum juxta Molinam ſit quoad ſubſtantiam, & modum.

2. Deficit, quia ſentit, non poſſe hominem victorem evadere tentationem, id eſt, eas meritorie vincere; aliter vero poſſe illas ſuperare.

3. Deficit, quia aſſenſum firmum fidei Catholicae ex pio aſſectu, vocat illum, qui procedit ex auxilio Dei; & iſtum ſolum negat natura viribus: tacite tamen admittit omnem alium, certum ex parte credentis, ex ſolis viribus natura, ſicut Molina dixit.

4. Deficit, quia in particulari non explicat, quamnam ſit dilectio Dei Auctoris natura, quæ excludat affectum omnium peccatorum, quæ negatur natura viribus: unde ſub æquivocatione magna procedit.

5. Deficit, quia tota quaſtio eſt: Quamnam ſit contritio, quæ eſt diſpoſitio ad gratiam: quam tamen non explicat, ſed in conſuſo conſtituit: ſub qua conſuſione latet ſine dubio ſenſus ſiſſimus.

6. De-

(1) Mardi 23. du paſſé, j'eus une Audience du Pape, en la quelle je communiquai a Sa Sainteté ce qu'il avoit plu a Votre Majeſté m'écire de ſon avis, touchant les affaires d'Angleterre, & la diſpute des Peres Jacobins, & Jeſuites. Il prit l'un, & l'autre conſeil en bonne part.

(2) Ex Actis Legationis Card. Pagnani, (3) Ex Scripto D. Armachani. (4) Vide infra cap. 3.

6. Non poſſet homo ſolis natura viribus ſe ad gratiam juſtificationis præparare, atque diſponere.

7. Non poſſet homo ſolis natura viribus ullum opus veræ pietatis facere, vel inchoare, nec ullam vere piam cogitationem habere.

8. Facienti, quod in ſe eſt, ex ſolis natura viribus, non debetur gratia; & ſi datur, ex pura liberalitate, & miſericordia datur.

9. Non dependet Prædeſtinatio Divina ab operibus bonis præviſis, vel a præviſo bono uſu liberi arbitrii, ſed gratia; nec in ratione meriti, nec in ratione conditionis: Sed ipſa Divina Prædeſtinatio absolute gratuita eſt; neque reddi poſſet ulla ratio ex parte noſtra, cur hunc potius, quam illum Deus prædeſtinaverit.

10. Sine ſpeciali dono Dei, nemo perfeſerat uſque in finem, etiamſi habitualem gratiam & adjutorium ſufficiens habeat, & perfeſerare poſſit, ſi velit.

DE EFFICACIA GRATIÆ DEI.

1. Gratia Dei non ſolum dat poſſe, ſed etiam velle, & facere.

2. Initium ſalutis ſoli gratia operanti; augmentum, & confirmatio cooperanti gratiæ cum libero arbitrio, tribui debet.

3. Gratia Dei efficaciæ certum, & inſallibilem effectum habet: a nullo enim duro corde reſpuitur; cum ad hoc detur, ut cor emolliat.

4. Etiam gratia Dei prædeſtinare voluntatem noſtram dici poſſit, quatenus præveniens, & operans eſt; non tamen ita prædeſtinare dicenda eſt, ut neceſſitatem imponat, quominus libera voluntas ſeiſpſam quoque vere determinet.

5. Nomina phyſicæ, vel moraliſ Prædeſtinationis in materia Gratia, & Liberi Arbitrii, nova, & periculosa reputantur.

6. Gratiam Dei ſufficientem, etiam in ſenſu composito, humana voluntas, ut recipere, ita etiam rejicere poſſet. Gratiam vero efficaciæm rejicere quidem poſſet, ſed re ipſa nunquam rejicit.

7. Gratia Dei, quantumvis efficaciæ, non tollit formalem libertatem hominis, quæ non conſiſtit in ſolo iudicio de indifferentia objecti; ſed in vera poteſtate, & indifferentia voluntatis humane ad agendum, vel non agendum, & ad hoc potius, quam illud eligendum.

8. Scientia futurorum conditionalium negari non debet Deo, quicquid ſit de modo, quo Deus cognoviſt futura libera, & contingentia.

9. Concurſus Dei generalis non ſolum non

6. Deficit, quia eſt in conſuſo, & ſub æquivocatione procedit, non diſtinguens in particulari, qualis ſit actus ille, quo homo ſe diſponit ad gratiam. Unde nihil omnino, quod pertinet ad controverſiam, aſſumat.

7. Similiter deficit, quia non explicat in particulari, quid ſit pietatis opus. Unde ſub hac generali confeſſione, multa in particulari, negant ii Auctores, eſſe opera pietatis, verbis duntaxat, quæ re vera opera pietatis ſunt. Unde ſub æquivocatione procedit.

8. Videtur procedere contra Canonem 6. Concilii Arauſicani II. in quo deſinitur, miſericordiam non dari ſimilibus natura operibus.

9. Equivocatione procedit, quia Scientiam Mediam præſupponit; quæ admiſſa totum quod verbis aſſumat iſta propoſitio, reiſpſa & quoad ſenſum negat.

10. Deficit, quia non explicat, quid ſit ſpecialia donum, quod tamen deberet admitti ſe ſine Media illa Scientia, quam iſte Auctor præſupponit.

1. Hæc deficit, quia non explicat, quomodo Deus vere, & active proprie ſuadere velit, & operari, & non ſolum moraliter ſuadendo, ut reiſpſa intelligant.

2. Deficit, quia verbis duntaxat admittit gratiam cooperantem, re autem ipſa illam negat; quia tantum admittit ſub nomine operantis illam moraliter attrahentem.

3. Deficit, quia voce tantum admittit gratiam efficaciæm, cum illam poſt Scientiam-Mediam conſtituat.

4. Deficit, quia Prædeſtinationem non ſolum admitti poſſet, ſed debet. Reliquum, quod aſſumat propoſitio, verum ſumum eſt.

5. Deficit in eo, quod vocat nomen phyſicæ Prædeſtinationis novum, & periculolum: Cum enim ſignificet veritatem antiquam, & id quidem apertè, ad tollendas æquivocationes huius temporis, nec novum cenſeri debet, nec periculolum.

6. Deficit. Oportet explicare, quamnam ſit gratia efficaciæ, quam homo poſſet rejicere, ſed de facto nunquam rejicit: An videlicet ſit efficaciæ ex Deo ipſo, vel ex præviſo uſu hominis per illam Mediam-Scientiam? Unde ſub periculoliſſima æquivocatione procedit.

7. Deficit, quia in ſecunda parte tacite videtur imponere Deſenſoribus Gratia, quod conſtituant formalem libertatem in iudicio, & indifferentia objecti; cum tantum in illo conſtituant radicem libertatis. Similiter in prima parte æquivoce procedit, quia efficaciæm gratia, non tollentem formalem libertatem, intelligit eſſe illam, quæ ſupponit illam Scientiam-Mediam, & quæ habetur ex homine. De efficaciæ enim, quæ procedit ex Deo, aperte ſententur, quod tollit formalem hominis libertatem.

8. Aſtute procedit, quia videtur ſignificare, quod de modo, quo Deus cognoviſt futura libera, ſive ante actum abſolutum Divinae voluntatis, ſive poſt illum, ſit quaſtio probabilis. Unde in hoc fundat Scientiam-Mediam, quæ eſt errorum omnium fundamentum.

9. Equivocè etiam procedit. Quamvis enim Deus

prædeterminat voluntatem ad malum, quantum ad formale peccati, sed neque etiam quantum ad materiale.

10. Perditio impiorum non est referenda in decretum Dei æternum, & absolutum, quod habuerit ante omnem prævisionem voluntatis humanæ, sive in voluntatem Dei, volentis dare gratiam; cum e contra velit ipse, omnes homines salvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire.

Deus non prædeterminet voluntatem ad malum, quantum ad formale, neque quantum ad materiale, ut stat sub illo formali; prædeterminat tamen actionem, & entitatem, quæ est in peccato, quatenus entitas, & actio est: quod ista propositio negat sub illo verbo, materiale peccati.

10. Supina æquivocatione laborat in multis. Quamvis enim perditio impiorum per culpam non referenda in decretum æternum, & absolutum, quo Deus voluerit illorum perditionem, nec ante, nec post prævisionem voluntatis humanæ: similiter quamvis talis hominum perditio non sit referenda in Dei voluntatem, permittentem illam, sed tantum in malam hominum voluntatem operantem: non tamen est dubium, quin Deus efficaciter voluerit permittere illorum perditionem, ante omnem prævisionem voluntatis eorum, volendo absolute, eis suam gratiam denegare; cum qua absoluta, & efficaci voluntate optime stat, quod Deus velit, omnes homines salvos fieri.

Unde in summa dicam: Omnes istæ propositiones viginti captiosæ sunt nimis, & indignæ, quod, tanquam definiendæ, ab aliquo proponantur.

IN id temporis referendum, opinor, Bellarmini Libellum, (1) Summo Pontifici oblatum, si Questionum Auctori fides est, in quo doctrinam Prædeterminationis, a Concilii Tridentini Theologis explosam, significabat, his verbis: *In Actis Concilii, quæ habentur in Arce S. Angeli, refertur, quod, cum in disputatione Theologorum, quæ habebatur ante Sessionem sextam, duo Religiosi prænotissimæ sententiæ istam de Prædeterminatione Liberi Arbitrii, fuit male acceptum a cæteris, eo quod non videretur valde catholicum; & postea decretum formatum est juxta communem aliorum sententiam. Num eo Libello Pontificem adierit Bellarminus, haud satis scio: id tamen certo novi, rem eo fragmento longe aliter exponi, quam re ipsa accidit. Quæ enim illic notatur, Theologorum disputatione, Sessionis sextæ præambula, ea est, quæ die 28. Junii 1546. celebrata fuit. Porro Codices, in Arce S. Angeli asservati, rem aliterarrant, parte 2. Actorum sub Paulo III. folio 9. verso. Nec Prædeterminationis sententiam, a Theologis, Tridenti sedentibus, explosam referunt, sed puram, putumque Lutheranorum errorem de Arbitrio, passivè tantum se habente, a Thomistis, physicæ Prædeterminationis assertoribus, summo consensu rejectum: ut plane cæcis præjudiciis, studioque partium immodico tribuenda veniat ea Bellarmini libertas, qua detestandum Lutheranorum errorem cum Thomistarum doctrinam promiscue confudit. (Si tamen, quod illi tribuit Molinianus disputator, facti veritate nititur, ac non potius pro arbitrio, & obrectandi libidine consensum est.) Do Manuscripti Codicis verba, ab ipsis Jesuitis excerpta, initio Libelli Memorialis, anno 1606. Paulo V. exhibiti, quo varia Actorum excerpta, domesticæ, ut putabant, causæ adfaventia, representabant. In Congregatione Theologorum die Lunæ, 28. Junii, folio 9. pag. 2. in Responsione Theologorum ad secundum Questionem hæc habentur: Ex parte nostra requiritur bonus motus voluntatis, & non resistere Deo moventi. Et infra: Ex parte hominis requiritur, ut ei aperiatur, & non ei repugnemus: Et ista in hanc sententiam. Eadem*

pagina 2. quatuor Doctores, duo Augustinienses, scilicet Magister Gregorius, & alius; item Magister Gregorius Senensis, Ordinis Prædicatorum, & Magister Laurentius Ordinis Serrorum dixerunt, Liberum arbitrium se habere mere passive, & nullo pacto active ad Justificationem, post illum, Deinde subiungitur: Omnes igitur Theologi, præter illos quatuor, qui non videntur satis Catholicæ locuti; nam quod liberum arbitrium discesserant a cæteris, &c.

Felicis non cessit altera periclitatio, sequenti mense tentata, ut Paulum V. in Prædicatores commoverent. Erroneas propositiones quinquaginta-quinque sibi ab illis assigni, Pontifici significarunt. Has se detestari, & execrari, protestabantur, tanquam apertis errores, in Pelagianis, & Semipelagianis prædamatos; a nullo tamen Societatis Auctore defendi, vel affirmari. Sparfus erat in Urbe rumor, ubi Scripti Apologetici exemplaria hæc multa apud amicos, ac familiares disseminaverant; nec mediocri Prædicatoribus invidia concitabatur. Machinationem ex publica supra inaudivimus Thomas de Lemos; calumnique pro sui Ordinis defensione, ad propulsiendam fraudis accusationem, acuit. Scripti Apologetici versutiam detexit, quo & sibi obiectos errores Jesuitæ dissimulabant, & fictitios, quorum nunquam accusati fuerant, ejurabant.

Hæc arte Zozimum circumvenit Cælestius, porrepto fidei suæ libello. Ab ipsa Trinitate unius Deitatis exordium sumens, usque ad mortuorum Resurrectionem, quibus in capitibus eum accusaverat nemo, fidem suam minutatim explicabat: cætera vero, quibus intentatæ litis summa vertebatur, persunctorie resumebat. Augustini libro de Peccato Originali, cap. 23. In libello, quem Rome dedit, cum fidem suam a Trinitate unius Deitatis, usque ad resurrectionem, qualis futura est, mortuorum, de quibus tum nullus interrogaverat, & unde illi nulla quasi movebatur, quantum dicere libuit, explicasset, ubi ad id, quod agebatur, sermo pervenit, &c. Quanquam tamen non erat, ne viri prudentes, & eruditi, qui quaestiones non minus facti, quam juris, in publicis

blicis congressibus, ac disputationibus eliquatas noverant, stulto illo acupio deciperent. Cum enim prius, quid Moliniana Schola sentiret, disputari iussisset Clemens VIII., quam quid secundum Augustinum, & inconcussam Ecclesiæ traditionem sentiendum esset, frustra istiusmodi suffugia quærebant, ut Pontificis animum exacerbarant, & a ferenda sententia detererent.

CAPUT II.

Examen, sub Clemente VIII. institutum, aliis artibus infirmare nituntur Molina Vindices, ne causam, iudicio jam maturam, resumant, ultimique designat Paulus V.

Violentam illam difficultatem, ac supplicationum obsidionem invicto animo sustinuerat Paulus V. cum novas artes intenterant Molina Vindices. Observaverant, Sanctissimum Pontificem sui maxime Prædecessoris exemplo ad suendam controversiam incitari; indignumque existimare, ut tam insolita Sedis Apostolicæ diligentia tot jam annos, tanta cum Orbis expectatione adhibita, in sumum abiret. Idcirco, ne res ita iudicio matura videretur, quæcunque sub Clemente tractata, sancta fuerant, quasi nullius essent roboris, ac momenti, exflare moliti sunt.

Eo animo libellum supplicem (1) dedere Paulo V. sub initium mensis Augusti; quo per speciosam figuram preteritionis, multa in primis de Censoribus, antea designatis, expostulabant. Illos nimirum ultra modum severos fuisse, perperam, & injuria permultas propositiones erroris damnasse, quæ catholicum sensum apud Auctorem habeant, & a multis etiam Auctoribus, uti probabiles, admittantur. Addebant, eos magna ex parte tantæ controversiæ dirimendæ fuisse impares, seu quod alteri parti plus æquo addicerentur, seu quod non tanta doctrina perloquerent, ut incorrupte, & tuto possent de rebus obscurissimis, & difficillimis judicare. Monebant insuper, novas disputationes exigere, aut potius nullius fore utilitatis, cum Censores in eadem sententia, quam jam dudum scripto prodiderant, permanfuri essent; atque adeo Reis valde periculosum futurum, coram infensis Iudicibus litigare. Hinc deum inferrebat, præcipuum de efficacia gratiæ questionem vel non attingendam omnino; vel cum Catholicis Academiis communicandam: Librum vero Molinæ, qui Controversiæ locum dederat, Sacre Indicis Congregationi permittendum esse, ut legitimum, & communem cæteris suspectis libris Censuram, ac iudicium subiret: cum nulla ratio suppleret, cur cum hoc uno homine, a viris præsertim acerrimis accusato, privato jure ageretur.

Secundo Pontificem precabantur, ut Ecclesiasticæ consuetudinis memor, quæ fidei essent duntaxat, definitur; cætera vero Theologorum disputationibus libere permitteret. Sic enim Apostolicæ Sedis dignitatem tuendam, pacem conciliandam, amovenda scandala, pollicebantur. Verum, ne quæ sub Clemente post habitas disputationes statuta fuerant, ad fidem Catholicam spectare, solennique definitione indigere, viderentur, agitatae controversiæ nonnisi facti humani questionem cadere, nullatenam possent. Strepunda sane res, atque hæc præsertim temporibus observanda, ubi de indeficienti Facti Janseniani definitione adeo

contentiose disputatur. Si status quaestionis, inquebant, (2) inspiciatur, non tam de modo rei, quam de B. Augustini, & D. Thomæ sententia videtur esse controversia. Urque enim pars duorum illorum Sanctorum doctrinam proficitur, ambos pro se stare contendit, eorum sententias, & verba diligenter interpretatur; ut quæ duorum Theologorum mentem assequatur, contentioni finem imponat. Igitur, si verum dicendum sit, id explicandum restat unum, quid duo gravissimi Auctores, & Catholicæ Ecclesiæ columnæ, & ornamenta, de quaestione propofitis sentierint. Quis autem dicat, pertinere ad fidem, quid hic, aut ille, quamvis insigni doctrina, & sanctitate clarus, vel existimaverit, vel docuerit? Res quidem ipsa, quam hi duo Theologi tradiderunt, ad fidei fortasse objectum spectare utrunque potest; fuisse autem illos hujus, vel illius sententiæ, nisi ex ipsorum scriptis sive eviderent, sive probabiliter colligatur, ambiguum erit, & obscurum, fide Catholica definiti non poterit. Cum enim Romanus Pontifex, ad quem potissimum spectat, tanquam ad supremum, & infallibilem controversiarum fidei Iudicem, dogmata definire, non possit novos libros canonicos scribere, & novos fidei articulos condere (quod olim faciebant Prophetæ, Apostoli, cæterique Canonici Scriptores) sequatur, necesse est, Sacrarum Litterarum, ac Divinarum Traditionum auctoritatem, vel sanctorum Patrum, & Theologorum consensionem, vel communem quandam totius Ecclesiæ sensum, & quasi guttum: quorum nihil spectari potest, cum de privati hominis sententia disputatur. Nam, ut olim Prophetis, atque Apostolis, reliquisque Sacrorum Librorum Scriptoris, & Divinarum Traditionum Auctoribus ita affuit Spiritus Sanctus, ut nihil illis excideret, quod non esset divinitus inspiratum; ita, etsi idem Spiritus Sanctus Romano Pontifici semper adest, ut in rebus fidei declarandis, explicandisque Sacris Litteris, Apostolicis Traditionibus, superiorum Pontificum Responsis, Conciliorum Decretis, & Ecclesiasticis Sanctionibus, quibus principia fidei continentur, nunquam fallatur, aut erret; in privatorum vero dictis declarandis, quæ humano studio, ac diligenti deteguntur, vereor, an possit hanc sibi infallibilem Spiritus-Sancti assistentiam certo polliceri. Quemadmodum neque illi ipsi auctores Spiritus-Sancti ductum ita penitus sequuti sunt, ut humano more nonnunquam labi, & errare non possent. Itaque antiqui Pontifices, cum de privato aliquo auctore agunt, hominis doctrinam, conditionem, & sanctitatem laudant; nunquam tamen, ni fallor, cuiusquam sententiam explicandam suscipiunt, & hoc, vel illud quempiam sensisse, definiunt, idve, tanquam fidei dogma, proponunt. Atque in hac ipsa quaestione, dum Romani Pontifices Innocentius, & Cælestinus S. Augustinum, eximium Ecclesiæ lumen, & Catholicum sanæ sententiæ Doctorem appellat, & de Gratia, ac Prædeterminatione recte sensisse, & docuisse, affirmant; quid autem potissimum docuerit, aut quomodo ejus sententia accipienda sit, ne attingunt quidem. Certe de re gravissima disceptatur: de conventientia Gratia efficaciæ, ac Divini concursus cum libera voluntate, de natura Divinæ Providentiæ, ac Prædeterminationis, de vicibus Liberi Arbitrii, deque ipsius humanæ libertatis

(1) Eisdem I belli Auctoritatem nobis objicit Censorii Indiculi fabricator Art. 27.

(1) Exstat in Collec. Coron. & Læmpsi. (2) Verba Patrum Societatis in Libello supplicis, exhibito, Paul. V.

condicione denique de necessaria conjunctione secundarum causarum cum prima, & universali causa: quæ omnia Sacra Littera, Ecclesia Sanctiones, SS. Patres, omnes denique Philosophi, ipsaque adeo naturalis ratio aperissime docent. Si quis hæc neget, aut in dubium revocet, hunc equidem proditæ, aut nullius potius fidei esse, crediderim. Si autem quispiam sit, qui, cum hæc omnia salva esse velit, de modo, quo ista defenduntur, aut explicantur, questionem moveat; quis iure reprehendat? Aut quis damnet eum, qui ambigere se dicat, quid de propositis questionibus existimavit sive S. Augustinus, sive S. Thomas? At modus, quo ista defenduntur, fidei vel aperte repugnat, vel periculum creat; ex altera enim parte metuendus est Pelagianismus, ex altera vero Lutheranismus. Quis hoc dicit? Viri docti, & religiosi non pauci; sed æque multi, atque adeo etiam plures similiter docti, ac pii pernegant: qui, cum se D. Thomæ, ac D. Augustini sententis, atque auctoritate premi, atque urgeri, sentiunt, eorundem pro sua sententia dicta neque pauca, neque leviter proferrunt; ut, velis, nolis, eodem revolvitur necesse sit, id unum ultimo queri, quæ de proposita questione fuerit duorum hominum sententia. Quamobrem facti, quod ajunt, humani questionis iudicium, quæ sub fidei definitionem cadere nullo modo potest.

His artibus iudicia, sub Clemente instituta, eludere nitentur; quique Pontificii iudicii de Facto Janseniano indeficientiam tanto nunc studio, ac zelo tuerentur, Ecclesiam tunc, in facto Augustiniano decernendo, errori obnoxiam assererent, ne se iudicio victos faterentur. At ita, pro causâ, ac temporis necessitate, loquendum, putabant viri, suis servandis finibus nimis additi, qui veritati temporum spatium, ac patrociniis personarum præscribi volunt. Etsi eo etiam capite fucum facerent, quod de S. Augustini, ac D. Thomæ mente duntaxat disputatum, jactarent; cum omnia argumentorum genera, ab utriusque partis Actoribus adducta, & a deputatis Censoribus expensa, non nescirent; nec dissimulare omnino possent, ibi maxime controversum, quo sensu Conciliorum, ac Pontificum decreta, in Pelagianos, ac Semipelagianos sancita, intelligenda forent: qua in re indeficientes Pontifices fatebantur.

CAPUT III.

Nova arte Pontificem a resumenda lite debortantur; quod quaestiones, in controversiam vocatæ, nihil ad fidem attineant; earumque numero sint habenda, quas nec contemnendas, nec adstruendas, censuit Cælestinus.

Quis Societatis Actores eam tandem morandi iudicii viam inturos existimasset; qui toties violatam fidem, libertatem excisam, purum, purumque Calvinismum inductum, de Dominicanis expulsoverant? Sed sunt hæc malorum litigatorum vices, ut causæ meritis diffidentes, atque adversi iudicii metu percussi, multa demum de præsumpto jure concedant, quæ summo antea supercilio contendebant: ipsamque partem adversam lubentes absolvant, modo & ipsi e mota lite emergant, latere recto. Hac arte Pelagianos usos, videas, qui, cum Augustinum vagis, ac raucis illis accusationibus circumvenissent, violatamque ab eo fidem, ac suscitatum Manichæis-

(1) Apud Aug. lib. 2. de peccat. Orig. c. 23.

num non semel expulsoverant; ea tandem fiducia dejecti, statuta ab eo dogmata quaestiones præter fidem motas dicere maluerunt, ne supremo Ecclesie iudicio finirentur. Nec dissimiliter Massilienses, (1) post eandem in illum calumnias instauratas, eo tandem se retulerent, ut plerique contenderent, Christianam fidem hac dissensione minime violari; uti testis est D. Prosper in sua ad Augustinum Epistola.

Molinianorum itaque animis infedit consilium hoc, ut Paulum V., Clementem VIII. ad superos vocato, a resumenda, finiendaque controversia debortarentur. Controversias, quæ fidei summam stare, toties fassi fuerant, opinione liberas distillarunt, dato Libello supplicii, cujus fragmentum superiori capite dedimus, missaque jam tandem importuna illa Calvinismi accusatione, qua Dominicanos sepius oneraverant, quaestiones, in ius vocatas, earum loco haberi voluerunt, quas Ecclesiasticorum Tractatorum arbitrio dederat Cælestinus; ut hac arte Molinismi damnationem eladerent. De substantia, inquiebant suo illo libello, Pontifici dato, prima quaestio, quæ est de viribus Liberi Arbitrii, convenire inter utramque partem, ex eo constat, quod æque omnes gratiæ necessitatem contra Pelagium, & libertatem Arbitrii contra Calvinum, & Lutherum defendunt: quæ iudicantur hujus quaestiois substantia, quam definiunt Innocentius, & Cælestinus, & Concilia Carthagenense, Milevitanum, Arausicanum, Valentianum, Sesonense, & Tridentinum: ex quibus Cælestinus suam ad Episcopos Gallie Epistolam hac sepe clausula concludit: „ Profundiores vero, difficilioresque partes incurrentium questionum, quas latius pertractant, qui hæreticis resistunt, sicut non audeamus contemnere, ita non necesse habemus adstruere: quia ad consentiendum Dei gratiam, cujus operi, ac dignationi nihil penitus subtrahendum est, satis sufficere credimus, quicquid, secundum prædictas regulas, Apostolicæ Sedis nos scripta docuerunt.

Tam subinde, multis intersectis: „ Edenda, inquiebant, Constitutio Apostolica, quæ tria potissimum capita complectatur: in quorum primo quaestio de viribus Liberi Arbitrii, & Gratia necessitate eatenus definiatur, ut ea duntaxat proponantur, quæ circa fidei iacturam in dubium revocari non possunt. Cætera (quod olim fecit Cælestinus in Epistola ad Episcopos Galliarum) ita disputationibus Theologorum permittantur, ut inter Calvinismum, & Pelagianismum iter medium teneatur. In altero vero quaestio de efficacia gratiæ, gravissimis verbis, ex Augustino præsertim petitis, breviter explicetur, ommissis vocum novitatibus, & spinosis, atque abstractis difficultatibus, ut Apostolicam gravitatem decet, & sacrorum Canonum præca conseruato docet. In tertio, ac postremo severe prohibeatur, adhibitis etiam, si videbitur, Censuris Ecclesiasticis, ne qua pars alteram erroris, atque hæresis infuset; neve probra, aut contumelias jactet; sed qua Religiosos decet modestia, ac pietate, singuli suam sententiam ita explicant, ut a Catholicæ, & Romanæ Ecclesiæ, placitis & Conciliorum Decretis, præcipue vero Tridentinæ Synodi definitionibus, ne latum quidem unguem recedant. Quibus addi poterunt aliæ admonitiones, & adhortationes, aut etiam præcepta, quæ ad pacem conciliandam, & retinendam, valere videbuntur. Videretur etiam fortasse opportuna, modesta utriusque Religionis commendatio, & præteritæ contentiois excusatio, quæ a pietatis, veri-

veritatique studio, & bono religionis zelo profecta, Apostolicæ Sedis auctoritate sedanda, & penitus extinguenda creditur.

Sic illi, Cælestini verbis astute abusi, quaestiones, hædenus agitata, involvi silentio, suumque idcirco Molinam absolvi, speciosa circulatione præcabantur. Verum, quominus suo illo Libello, novo Pontifici fucum facerent, obstitit Thomas de Lemos, qui brevibus ad marginem observationibus lucubrationem male natam dispanxit, illiusque editores multo sale defricuit; quod & terga verterent, & a fidei controversiis alienum id dicerent, quo fidei summam stare, non ita pridem fassi fuerant. Ita priorem laciniam diffuebat Vir maximus: „ Se ipsum, & alios fallit, asserens, Utramque partem controversiæ de ipsa rei substantia convenire, & solum differre in modo dicendi. Immo de fidei substantia controversia est, de qua Sanctus Augustinus cum Pelagianis, & S. Prosper cum Semipelagianis, ad litteram. In eodem enim indivisibili casu sumus: nec iste Auctor, ut se occultet, aliter poterit suadere. Magis fallit incautos, dum ait, æque omnes gratiæ necessitatem contra Pelagium defendere. Nam altera pars verbis tantum necessitatem Gratia Christi, quam a pert negare non audeat, affirmat; sicut antiquis Pelagianis fecerunt: quod sepiissime aperitum dedimus in conspectu felicitis rectoris Clementis VIII. Unde Cælestinus inditus, contra Semipelagianos definiens, æque Molinam, & ejus fautores, sicut loquentes contraria damnar. Alia autem valde divergentes sunt illa profundiores, quas Cælestinus nec contemnebat, nec adstruere volebat, quam sint ista, de quibus modo controversatur: quia, ut diximus, altera controversia contra fidem procedit, & in Epistola Cælestini invenitur expresse damnata, & fundamentum ipsius eversum, ut alibi manifestabimus. Aeram in hunc modum dispuagebat: „ Primum, quod dicit definiti debere, est necessitas gratiæ, & libertas arbitrii, in his duntaxat, quæ ad fidem pertinent, aliis quaestiois ommissis. Bene est: sed intelligit, omnendam quaestioem de congruitate gratiæ per illam Scientiam-Medium, seu per illam physicam Prædeterminationem, ut ex præmissis fit manifestum. Sed quomodo in hoc Ecclesiam ipsum, quod implicat, procuret fallere, quis non videat? Petit enim definitionem, quæ nihil definiat; immo definitionem expostulat, quæ quodammodo permittat, errores per Ecclesiam grassari, illos quodammodo approbandos. Jam enim sæpe diximus, quod & modo confirmamus, sententiam illam de congruitate gratiæ per illam Scientiam-Medium, damnatam esse Pelagianorum Doctrinam, quam iste Auctor damnari non vult, sed quodammodo approbari. Per oppositum ergo sentimus, definiendam esse, clareque Ecclesiæ proponendam unam ex illis partibus, etiam terminos, & voces, quibus controversiam hanc Actores veniant, vel indirecte saltem approbando, vel reprobando, ut omnes simul æquocationes præcludantur. Dicit præterea, non oportere desinare in particulari aliquam controversiæ partem, ut sic inter Calvinum, & Pelagium medium retineatur. Immo, si neutra pars in specie definiatur, illud, quod in consensu postulat, medium inter Calvinum, & Pelagium relinquatur; & error Pelagianorum, & Calvinitarum quasi approbaretur, Serry Tom. I.

relinquendo, sicut probabilem, illam congruam, seu morale vocationem, ut sæpe fuit declaratum. Dicit etiam, quod Cælestinus sic in consensu definit, & non aliquam in specie controversiæ partem: in quo se nimis occultat, & Cælestino facit injuriam; cum apertissime conser, ipsum definitivè, bonum usum Arbitrii ex efficacia Gratia esse: quod rotaliter negat sententia illa, quæ introduxit illam Mediam-Scientiam, & vocationem illam morale, seu congruam. Unde oportet, jam nunc definitionem Cælestini explicare, & quid re ipsa condemnet, aperire.

Idem illud Molinianorum effugium occupavit Archiepiscopus Armachanus erudita lucubratione, novo Pontifici data, de qua nobis capite 6. sermo erit. Illos a vero procul abire, demonstravit, qui controversias agitata nihil ad fidem attinerent dicerent; eosque Cælestini suffragio deludi, qui nova Molinæ commenta incurrentium Quaestioem loco haberi vellent. Et quidem tardum, ac pene jam serum effugium istud erat, ut ejus obreatu Judicium ora sublinirent. Cum enim Moliniana paradoxa Pelagianis luto hæzere, censuissent Hispanice, ac Belgicæ Academiæ, Episcopi, ac Theologi primæ notæ, quorum sententiam rogaverat Clemens VIII., ac ipsi tandem Romani pendentes controversiæ Cognitores; nihil novis illis inventis Catholicam fidem lædi, perperam obtendebant desperatæ causæ procuratores. Rursus, cum incurrentium Quaestioem nomine eas nec intellexerit, nec intelligere vere potuerit Cælestinus, quas de industria, ac data opera adversus Pelagianos agitaverat Augustinus, uti lib. 3. capite 8. planum fecimus; non erat, cur eo titulo procul nuper paradoxa Moliniani censerent vellent, quæ a Sanctissimo Gratia Vindice ex instituto confutata, demonstraverant adversæ partis Oratores: aut certe erat hoc illis magno argumentorum apparatu demonstrandum, quod tanta fiducia contendebant, ut latius jam pridem Censuris fidem adimerent, causæque Cognitores nato suspenderent. At nihil illi, ut dictis robur affererent, proferebant; quasi satis illis auctoritatis esset, & gratiæ, ut integram verbo fidem facerent. Quare & ea Supplicatio elisa est.

Erat hic animus gradum sistere, nec longiore de celebri illa Cælestini clausula funem ducere, satis officio nostro consultum, rati, si ejus Molinianos interpretes, data identidem occasione, retunderemus: præsertim cum libro superiori (1) duo hæc haud levibus argumentis probaverimus: primum, non universa fidei capita, adversus Pelagianos, & Massilienses asserenda, decem illis Capitulis, Cælestini Epistolæ adnexis, explicari; sed ex iis veluti primigeniis fontibus alia fluere, ad fidem pariter attinentia: alterum, celebrem illam clausulam ad eas Augustini sententias detorqueri non posse, quas ille data opera, atque ex instituto adversus Gratia hostes, uti Catholicæ fidei tesseram, propugnavit. Hinc quippe consequens erat, Gratiam seipsa victicem, & efficacem, Prædestinationemque, nullis hominum meritis, conatibus, aut dispositionibus nixam, inter fidei capita recenseri haud dubie posse, tamen laudatis Cælestini Capitulis distincte, & explicate non inferantur; modo ex iis sponte fluere, & ab Augustino adversus Gratia hostes de industria defendi, conserit. Quod prudenter Lemosius suis illis observationibus adnotaverat, nihil aliud pro finienda Auxiliorum Controversia opus esse, iniquis, quam definitionem Cælestini explicare, & quid re ipsa condemnet, aperire.

M m

Ve.

(1) Lib. 3. cap. 8.

Verum, ut hanc spartam paulo plenius exfereremur, fecit Recentiorum quorundam importuna dicacitas, qui hæc ipsa Molinianorum interpretamenta ante dies aliquot recuderunt; ut hæc duo Thomistica doctrinæ capita incurrentibus Cælestini Quæstionibus adnumerarent: eoque fiducia devenere, ut Innocentii XII. Breve Apostolicum, anno 1694. Theologis Lovanienfibus datum, ad suum illud figmentum obrudendum detorserint. Etiam illud, inquit illorum unus in Præfatione brevis Historiæ Janfenifimæ, quod concernit silentium in materia de Auxiliis, & cui rursus inest Sua Sanctitas in Brevis, ad Facultatem Theologicam Lovanienfem dato 6. Februarii 1694. Tunc enim profecto non tot orta forent, & orientur dissidia; dum alii doctrinam de Gratia per se efficaci, & de Prædestinatione ante præcisâ merita, fidei esse contendunt: quamvis eadem Sua Sanctitas ibidem doctrinam istam non obscure collocet in earum numero, de quibus S. Cælestinus ad Episcopos Gallicanos rescripsit: Profundiores, difficiliorisque &c.

Confidentius multo Joannes Launois hanc ipsam Cælestini clausulam in Augustinum, cui Prædestinationem, Calvinianam, ac Janfenianam hæreseos labem aspergere non est veritus, misere detorsit; ut gratuita Prædestinationis, & Gratia se ipsa efficacis gemina dogmata, a SS. Doctore, uti faretur, adversus Pelagianos stabilita, adiaphoris, ac etiam hæreticis dogmatibus annumeranda, demonstraret in sua falsi nominis Traditione, factu posthumo, & incerto nuper edita, summo Christianæ Republicæ damno.

Ne ergo ultimam Auxiliorum Controversiæ definitionem finitris illis interpretamentis morentur feri isti, ac succedanei Molinianæ causæ procuratores, manum secundo tabulæ admovemus, novoque argumentorum apparatus dictis superiori libro fidem addimus. Quo duo illa Angelicæ Scholæ capita ita Cælestini regulis indivulfe coherere, atque ex iisdem fonte, ac libere fluere, demonstramus, ut in fidei capita transire facile possint; ubi semel (quod maxime cavendum est) Ecclesiæ, supremoque ejus Hierarcha ita pronunciare, & pendente ab annis amplius centum, Auxiliorum Controversiam extremo judicio finire libuerit. Quare nec turbas movemus, nec dissidia concitamus, nec contrarium in præsentia sentientes a fide segeges dicimus, aut eo titulo præcipites illis Censuras inurimus, Ecclesiæ præcepto judicio, nobisque ambitiosus arrogato: uti nec turbas ciebant Hilarius, ac Prosper, nec illos a fide segeges arbitrabantur, qui alia bene multa Augustinianæ doctrinæ capita, a Cælestini. Regulis pendentia, fugillabant; donec post secularem concertationem, ex Ecclesiæ judicio, in Synodis Arausicanæ, & Valentinae pronuntiato, fidei Dogmatibus accesserentur: sed Thomistica causæ momenta modeste exsequimur, ut judicio maturam ostendamus, ipsamque partem adversam sinu complectimur, Augustini sententia obsecuti lib. 1. De vera Religione, cap. 1. Memento, qui scholas dissentientes habetis, templa vos habere communia.

CAPUT IV.

Superior Molinianorum expostulatio, a nonnullis nuper instaurata, consutatur: Quæstiones, in jus vocatas, Cælestini Capitulis artissime coherere, multis ostenditur.

Gratuitam Prædestinationem, Gratiamque seipsa efficacem, de quibus mota lis erat, Capitulis illis, ab Cælestino, aliove Augustinianæ doctrinæ studio digestis, artissime coherere, nec posse incurrentibus Quæstionibus, quæ priva-

torum opinioni in subjecta Clausula permittuntur, adnumerari; ex ipso in primis sine, institutoque, quo Capitula ipsa digesta sunt, adeo aperte colligitur, ut mirari omnino fubeat, rem, meridiana in luce positam, ac refractariolis ingenii in controversiam adduci. Ita quippe se res habuit.

Alter ab Augustini obitu annus agebatur, cum gravis illi ab æmulis invidia constata est. A Massiliensibus potissime traduci cepit sanctissimus Doctor, quasi qui in Pelagianis exagitantibus debitis modos prætergressus esset: quique in eum paulo ante, quam satis concederet, hincere, ac mullitare ausi fuerant, erecto jam supercilio, compositi manes sollicitabant, eique petulantius insultabant. Ad hæc, Prosper, & Hilarius, qui viventem Augustinum de Massiliensium querelis per Epistolâs certiores fecerant, ut eas ipse de scripto confiteretur, Romam contendunt, Apostolicæ Sedis auctoritatem adversus novas æmulorum oblocutionis advocaturi. Fecit pro votis Cælestinus, Ecclesiæ gubernaculis non ita pridem admodum, tulitque suppetias adversus importunos obrectatores. Eligantem is ad Gallos Episcopos Epistolam edidit, qua Augustini memoriam sacravit, doctrinam miris laudibus extulit, obrectatoribus filitium indixit. Tum, ut omnibus compertum leret, quam temere Massilienses Augustini manibus insultarent, quod in eo, adversus Pelagianos ammissio, prælio modum, certoque fines excedisset, digessit Cælestinus (seu, ut alii verius sciunt, Prosper ipse, aut Leo Magnus) certa illi Capitula, celebri Epistolâ subjecta; eaque potimum ex superiorum Pontificum Decretis, & Inodorum Africanarum statutis delibavit: ut intelligerent universi, ea ipsa jam pridem ab Ecclesiâ fuisse definita, quæ ab æmulis obrectatoribus invidiam trahebantur. Liqueat id ex ipsa Clausula profusione: „ Quia nonnulli, qui Catholicorum nomine gloriantur, in damnatis hæreticorum sensibus, seu pravitate, seu imperitia detraherent, piissimis Disputatoribus obviare præstantes, & cum Pelagium, atque Cælestium anatathematizare non dubitent, Magistris tamen nostris, tanquam necessariis modum excefferint, conquantur; eaque tantummodo sequi, & profitentur, quæ sacratissima Beati Apostoli Petri Sedes contra Inimicos Gratia Dei per nosterium Prasulum suorum sanxit, & docuit: necessarium fuit, diligenter inquirere, quæ Reges Romanæ Ecclesiæ de hæresi, quæ prior temporibus exorta fuerat, judicaverint, & contra nocentissimos Liberi Arbitrii Defensores quid de Gratia Dei sentiendum esse, censerint ita ut etiam Africanorum Conciliorum usum sententias jungeremus, quas utique fuascecerunt Apostolici Antistites, cum probarunt Ut ergo plenius, qui in aliquo dubitant, instruantur, Constitutiones Sanctorum Patrum compendioso manifestemus indiculo. Quod si quis non nimium est contentiosus, agnoscat, omnium disputationum connexionem ex hæc subditarum auctoritatum brevitate pendere, nullamque sibi contradictionis superesse rationem si cum Catholicis credat, & dicat: &c.

Tum subinde positâ X. fidei Capitibus, brevi hæc de reliquis quæstionibus, opinione liberis clausula necitur: Profundiores vero, difficiliorisque partes incurrentium quæstionum, quas latius pertractant, qui hæreticis resistunt, sicut non audemus contemnere, ita non necesse habemus adstruere: quæ ad constituendam gratiam Dei, cujus operi, ac dignitati nihil penitus subtrahendum est, satis sufficere credimus, quidquid, secundum prædictas Regulas, Apostolicæ Sedis nos scripta docuerunt: se prorsus non

non opinemur catholicum, quod apparuerit præfixis sententiis esse contrarium.

Necesse igitur est, iis fidei Capitibus, a Cælestino, aliove Augustinianæ doctrinæ studio digestis, illa ipsa maxime contineri, quæ in Augustino Semipelagiani fugillabant, & in quibus necessarium modum ab eo violatum querebantur: aut certe necesse est, ea statutis illis fidei Regulis proxime esse connexa, iisdemque artissime coherere. Alias, si nihil hæc cum delibatis capitulis commune haberent, sed adincurrerent Quæstiones, opinione liberæ, pertinerent, ea certe Capitulo recensione, Augustini doctrina a Massiliensium oblocutionibus vindicata non esset, sed potius integra lis Massiliensibus adjudicata: Quandoquidem necessarium modum excefferit, merito dicitur debet, quæ Quæstiones, a fidei Regulis longe distitas, quasque adstruere necesse non erat, uti fidem Ecclesiæ, venditavit, ac veluti Catholicis nominis testemur posuit.

Jam quis neget, Massilienses, duorum illorum dogmatum occasione, negotium maxime Augustinum facessivisse, quasi in asserenda gratuita electorum ad gloriam Prædestinatione, Gratiaque per semetipsam efficaci struenda, necessarium modum excefferit, novamque in veteri spatio semitam excogitasset? Id ex Properi, & Hilarii ad Augustinum Epistolâs, quibus eæ Massiliensium strophæ minutatim referuntur, aperte colligas.

Ac primo, quid illos de gratuita Prædestinatione in D. Augustini scriptis male haberet, notat S. Prosper in hæc verba: Multi ergo servorum Christi, qui in Massiliensi urbe consistunt, in Sanctitatis Tue scriptis, quæ adversus Pelagianos hæreticos condidisti, contrarium putant Patrum opinionem, & Ecclesiastico sensui, quidquid in eis de vocatione electorum secundum Dei propositum disputasti. Nempe id eis stomacho erat, quod Prædestinationem ad gloriam defendisset, quæ omne naturæ meritum, dispositionem, conatum, conditionem, bonum denique gratiarum usum, scientia exploratrice prævitum, penitus anteverteret: quo in capite nova Augustinum vestigia impressisse, fabulabantur: cum contra, aliter ipsi philosophandum arbitrantur, Electorumque prædestinationem ad gloriam ex Media illa Scientia, humani consensum exploratrice, suspenderent; qua nimirum prænosceret Deus, liberi arbitrii, versatili gratia perfusi, futurum assensum, ipsiusque etiam gratiæ usum. Hic etenim hic cardo erat, quo tota illa Massiliensium in Augustinum machinaolvebatur, nihil a Moliniano systemate diversus, de quo in hisce Auxiliorum Congressibus agebatur. Hæc enim, subjungit Prosper, ipsorum definitio, ac professio est: Omnem quidem hominem, Adam peccante, peccasse, & neminem per opera sua, sed per Dei gratiam, regeneratione salvari. Universis tamen hominibus propositum, quæ est in Sacramento sanguinis Christi, sine exceptione esse propositam; ut quicumque ad fidem, & ad Baptismum accedere voluerint, salvi esse possint: Qui autem creaturi sunt, quæ in ea fide, quæ deinceps per Dei gratiam sit juranda, mansuri sint, præservisse ante mundi constitutionem Deum; & eos prædestinasse in Regnum suum, quos grati vocatos, dignos electione, & de hac vita bono sine excessibus esse, præviderit. Explicatius vero præsentiam boni usus liberi arbitrii, non nudi quidem, ne quis cavilletur, sed gratia saltem versatili adjuti, ab iisdem Massiliensibus positam scribit, dum addit: Pene omnium par invenitur, & una sententia, quæ propositum, & prædestinationem Dei secundum præsentiam reoperunt, ut ob hoc Deus alios vasa honoris, alios contumelie fecerit, quia finem uniuscujusque prævidet, & sub ipso gratiæ adjutorio, in qua futurus

esset voluntate, & actione, præserit. In quæ D. Properi verba dubio procul intendens Doctor Angelicus 1. p. q. 23. art. 5. cum Pelagianorum errorem in eo situm, asseruisset, quod præsentis vitæ merita, veluti causam, rationemque effectus Prædestinationis, efficerent; Semipelagianorum systema in eo positum docet, ut Prædestinationem ex consensu humanæ voluntatis præsentia suspenderent; voluntatis, inquam, non nudæ, nullogue gratiæ auxilio fultæ, sed gratia ipsa, qua homo bene sit usurus, adjuncta. Fecerunt alii, inquit, qui dixerunt, quod merita, sequentia prædestinationis effectum, sunt ratio prædestinationis: ut intelligatur, quod ideo Deus dat gratiam alicui, & prædestinat, se ei daturum, quia præserit, eum bene usurum gratia: Sicut si Rex dat alicui militi equum, quem scit, eo bene usurum.

Quare, & eo systemate posito, illic progressus Massilienses, observat D. Proser, ut Augustini sententiam ob id præsertim fugillarent, quod præsentiam illam, uti merum exerantem ingenii commentum, exploderet, nullumque bonum liberi Arbitrii, & gratiæ usum vellet, nisi qui ex ipsamet gratia germinaret; sed integrum prædestinationis Mysterium ex immoto Dei proposito, consiliove suspenderet. Hoc autem propositum vocationis Dei, quæ vel ante mundi initium, vel in ipsa conditione generis humani, eligendorum, & rejiciendorum dicitur facta discretio, ut, secundum quod placuit Creatori, alii vasa honoris, alii vasa contumelie sint creati, & lapsis curam resurgendi adimere, & sanctis occasionem teporis asserre; eo quod in utramque partem superfluus labor sit, si neque rejectus ulla industria possit intrare, neque electus ulla negligentia possit excidere. Quoquo enim modo se agerint, non posse aliud erga eos, quam Deus deservit, accidere; & sub incerta spe cursum non posse esse constantem; cum si aliud habeat prædestinationis electio, cassa sit aditantis intentio. Removeri inique omnem industriam, tollique virtutes, si Dei constitutio humanas præveniat voluntates; & sub hoc Prædestinationis nomine fatalem quandam induci necessitatem, aut diversarum naturarum dici Dominium conditionem, si nemo aliud possit esse, quam factus est. Quas quidem argutias Ludovicus Molina contorsit in Augustinum 1. p. q. 23. art. 4. disp. 1. memb. 6. ubi ei maxime vitio vertit, quod, sub quadam caligine positus, eam prædestinationis durtiem amovendam, non attendisset: quam si S. Doctor, ut ipse quidem autumat, observasset, vocationem ex præsentia usus liberi arbitrii factam esse, sine dubio pronunciaisset.

Rursus, cum Augustinus suam illam, seu verius, totius Ecclesiæ sententiam variis Scripturarum Oraculis communiret; & hoc illi vitio dabant Massilienses, quod earum sensum minus faciliter, ac longe aliter, quam ceteri superiorum temporum Tractatores exposuerant, attingisset. Cum contra eos, monebat D. Proser, scripta Beatitude tue, validissimis, & numeris testimonis instructa, proferimus, ac secundum formam disputationum tuarum, aliquid etiam ipsi, quo concluduntur, adstruimus, obstinationem suam vetustate defendunt: & ea, quæ de Epistola Apostoli Pauli, ad Romanos scribentis, ad manifestationem Divinæ Gratia, prævenientis electorum merita, proferuntur, a nullo unquam Ecclesiasticorum ita esse intellecta, ut nunc sentiantur, affirmant.

Quibus omnibus Massiliensium querelis, ac strophis, tantum abest, ut cesserit sanctissimus Gratia Vindex, ut potius hanc ipsam gratuitam prædestinationem, cujus occasione lis illi movebatur, uti certam, ac perennem Ecclesiæ fidem, acris propugnaret iis ipsis in libris, quibus importunos

obtreclatores exagitant. Scio, inquit Libro De dono Perseverantiae, cap. 19. neminem contra istam Prædestinationem, quam secundum Scripturas Sanctas defendimus, nisi errando, disputare potuisse. Et cap. 23. Prædestinationis hujus fidem, que contra novos hereticos nova sollicitudine nunc defenditur, nusquam Ecclesia Christi non habuit.

Quis ergo non videat, Augustinum causa casurum, licetque Massiliensibus ab Cælestino adjudicatum iri, si Prædestinatio gratuita a digestis fidei Capitibus indivulsa non esset, sed incurrentibus Quæstionibus, opinione liberis, accenseretur: meritoque sanctissimo Gratia Vindici succensendam, quod eam, uti nostræ fidei caput, tendendam vendidisset, quam tamen adstruere non erat opus?

Idem de Gratia seipsa efficaci dicendum venit. Massilienses hoc etiam in capite sancto Doctori licet intentasse, quasi qui necessarium modum excessisset, ex altera Hilarii ad Augustinum Epistolam notum est. Cum enim toto passim libro De Correptione, & Gratia, internam Divinæ Gratiæ energiam, atque omnipotentissimam potestatem statueret Augustinus, qua Deus indeclinabiliter, & insuperabiliter in hominum cordibus operatur non solum veras revelationes, sed etiam bonas voluntates; eoque fine, celebrem illam duplicis status distinctionem posuisset, quorum in altero daret Deus bonum posse, quod vellent, in altero bonum velle, quod possent, atque ut illud deserere invictissime nollet: hoc ipsum pro more rodebant Massilienses, qui gratiam mere versatilem, liberoque arbitrio subditam, quovis in statu fabulabantur. Molestè ferunt, ita dividi gratiam, que vel tunc primo Homini data est, vel nunc omnibus datur, ut ille acceperit perseverantiam, non qua fieret, (1) ut perseveraret, sed sine qua per liberum arbitrium perseverare non posset: Nunc vero sanctis, in Regnum per gratiam prædestinatis, non tale adiutorium perseverantiae datur, sed tale, ut eis perseverantia ipsa donetur; non solum ut sine isto dono perseverantes esse non possint; verum etiam ut per hoc donum non nisi perseverantes sint. His verbis Sanctitatis tuæ ita moventur, ut dicant, quendam desperationem hominibus exhiberi. Si enim, ajunt, ita Adam adjutus est, ut stare posset in justitia, & a justitia declinare; & nunc ita sancti jurantur, ut declinare non possint; siquidem eam acceperint volendi perseverantiam, ut aliud velle non possint: vel sic quidem deseruntur, ut aut nec accedant, aut, si accesserint, & recedant, ad illam voluntatem pertinuisse dicunt exhortationis, vel comminationis utilitatem, que & persistendi, & desistendi obtinebat liberam potestatem; non ad hanc, cui nolle justitiam inevitabili necessitate conjunctum est: præter illos, qui sic contracti sunt his, quicum universa massa damnati sunt, ut exciperentur per gratiam liberandi. Unde in hoc solo volunt a primo Parente omnium distare naturam, ut illum integris viribus voluntatis juraret gratia volentem, sine qua perseverare non poterat: hos autem amissis, & perditis viribus, credentes tantum, non solum erigat prostratos, verum etiam suffulciat ambulantes. Ceterum, quiquidlibet donatum sit prædestinatis, id posse & amitti, & retineri propria voluntate, contendunt. Quod tunc falsum esset, si verum putarent, eam quoddam perseverantiam percepisse, ut nisi perseverantes esse non possint.

Hinc Prosper de Massiliensibus expostulabat, quod, eorum quidem iudicio, voluntas hominis Divinæ Gratiæ sibi pariat opem; non gratia sibi humanam subijciat voluntatem. Ac inter alia Augu-

stinum precabatur, ut illos eo præsertim in capite eventilaret, ostenderetque, Quomodo per istam præoperantem, & cooperantem gratiam liberum non impediatur arbitrium. Quo certe perspicuum sit, non de quavis interna gratia, sed de victrici, ac seipsa efficaci, rem illis cum Augustino fuisse. Equis enim credat, Massilienses, viros alias eruditos, ac pios, eo usque potuisse desipere, ut gratia versatili, liberoque arbitrio subdita, liberum arbitrium lædi, crederent, cujus assensu, vel dissentiu vis ejus omnis, ac energia suspensa est? Quocirca plura addere, facile esset, ut gratiam interioris inspirationis, qualem Molina comminiscitur, nedom a Massiliensibus, verum etiam a Pelagianis ultimo tandem agnitam, probaremus; nisi eo nos levasset onere Dominicanus Interlocutor, qui Molinianus eo sæpius in Congressibus te- lo petiit.

Notare hic satis fuerit, non deesse etiamnum, Theologos primæ notæ, (2) eosque non paucos qui Semipelagianos hanc ipsam interioris inspirationis gratiam prævenientem, ad initium bonorum operum, ac ipsius etiam fidei propugnasse, dicant, adstruantque haud levibus argumentis, partim ex Casiani, Fausti, Gennadii professione, partim ex datis ad Augustinum Epistolis. Ac re ipsa quidem de Massiliensibus ita pronunciat doctissimus Aquitanus: *Nec consulerant, se gratiam Dei, quam comitem, non præviam volunt esse meritorem, etiam illis voluntatibus subdere, quas ab ea secundum suam phantasiam non negant esse præventas.* Hilarius vero id ab eis summo consensu positum monet, *Ad nullum opus vel incipientium, nedom perficiendum, quemquam sibi sufficere posse.* Si quis etiam, seposito partium affectu, Augustinum perpendat in libris, queis illos exagavit, compertum habebit, solam illam gratiam ab iis explosam esse, que nocere libertati, necessitatem inducere, inutilem denique correptionem efficere videretur: que sane incommoda nec per umbram patitur interioris inspirationis gratia, cujus vis, ac potestas est voluntatis nutu suspensa est. Immo eandem gratiam ad initium fidei a Massiliensibus positam observat cap. 17. De dono Perseverantiae, qualem ad finalem perseverantiam necessariam fatabantur. *Hi initium fidei, & usque in finem perseverantiam sic in nostra constituunt potestate, ut Dei dona esse non putent, neque ad hæc habenda, atque retinenda Deum operari nostras cogitationes, & voluntates.* Porro Massilienses interioris inspirationis gratiam ad perseverantiam agnoscebant; nec eam alio sensu in nostra potestate sitam effutiebant, quam quod invincibili, insuperabili, atque indeclinabili gratia nobis a Deo dari, pernegarent. Quare D. Augustinus cap. 7. libri hujus, veram Massiliensium hypothesein fore, ait, si primæve integritatis privilegio homines portarentur: qua certe minus adhuc vera foret, si interioris inspirationis gratiam respuissent, quam Augustinus statui Innocentia necessariam agnovit lib. de Correp. & Gratia. *Non est hoc, inquit, omnino in viribus Liberi Arbitrii, quales nunc sunt; fuerat in homine, antequam caderet. Post casum autem hominis, non nisi ad gratiam suam voluit pertinere, ut homo accedat ad Deum; neque nisi ad gratiam suam voluit pertinere, ut homo non recedat ab eo.*

Neque movere quemquam potest, quod passim apud Augustinum, Prosperum, & Hilarium legere est, contendisse scilicet Massilienses, initium fidei a nobis, non ex Dei dono esse; ex Libero Arbitrio sobolescere; nec illud Deum in cordibus no-

nostris operari, sed ex bono naturæ usu proficisci. Quasi vero in hypothesi gratiæ interioris, modo versatilis illa sit, liberoque Arbitrio subdita, supponi hæc ipsa non possint, ac etiam debeant? Certe Augustinus gratiam interiori Adamo, atque Angelis datam contendit, auxilium videlicet, sine quo bonum velle, non possent: & tamen has ipsas loquendi rationes usurpat, de Adamo, & Angelis sermonem instituens, ob id unum, quod illos efficaci gratia desitutos contendere, auxilio nimirum, quo Deus in eis operaretur, ut vellent. Lib. de Correptione, & Gratia, Cap. 11. *Angeli sancti . . . per Liberum Arbitrium, cadentibus aliis per idem Liberum Arbitrium, steterunt . . . quod tunc ita liberum erat, ut bene velle posset, & male.* Capite 10. *Per ipsum Liberum Arbitrium in veritate steterunt.* Capite 12. *Perseverare, & non perseverare, in hominis relinquatur arbitrio.* Quid ergo vetat, Augustinum, ejuve Discipulos ita de initio fidei, juxta Semipelagianorum hypothesein, pronunciasse, tamen si internam ad illud gratiam ponerent; ob id videlicet unum, quod eam libero arbitrio subditam effutierent? Ratio etiam in promptu est. Cum enim interna inspiratio, Dei dono licet immixta, non nisi versatilis supponatur, nec ipsa sui tribuatur usum, sed e contrario eum, quantus quantus est, a libero arbitrio emendicet, a quo indifferentia determinationem, applicationemque sortitur; reliquum est, ut fidei initium arbitrio, ceu primo fonti, atque radici, adjudicetur.

Quæ cum ita sint, horum alterum fateri, necessum est, vel Gratiam, seipsa efficacem, fidei Capitibus, a Cælestino digestis, indivulsa coherere, atque ex illis sponte, ac libere, fluere, nec Quæstionibus incurrentibus, opinione liberis, adnumerari posse: vel certe D. Augustinum necessariam disputationem modum excessisse, sinistra violatæ fidei opinione laborasse, juxtaque titulo Massiliensium invidiam subilisse: Cum tamen longe aliter Cælestinus, in data ad Gallos Epistola, ac in ipsa Capitulorum prolusione, definiert.

Sed quid tandem, si hæc ipsa Capitula ad crifim vocemus? Res patebit ipsa per sese, gratuatamque Prædestinationem, ac ipsam efficacem Gratiam, ingenita virtute victricem, ex iisdem nullo negotio derivabimus; modo id in antecessum principii loco posuimus, quod fustus a nobis lib. 3. cap. 8. demonstratum est: Cælestinum non ea duntaxat, que iis Capitulis distincte, atque expresse definiuntur, inter fidei dogmata reposuisse, sed ea etiam teneri voluisse, que iis intime connexa essent. *Quod si quis, inquit ille in prolusione, non nimium est consentiosus, agnoscat, omnium disputationum connexionem ex hac subditarum auctoritatum brevitate pendere.*

Ac primo quidem in limine hanc fidei Regulam statuit Cælestinus, ex Innocentii ad Synodum Carthaginensem Epistola delibatam: *In prævaricatione Adæ omnes homines naturalem possibilitatem, & innocentiam perdidit; & neminem de profundo illius ruine per liberum arbitrium posse conjungere, nisi eum gratia miserentis creaverit.* Non igitur innocentia duntaxat primigenia, sed & naturali possibilitate exutus est homo; minoreque idcirco vires obtinet in statu naturæ lapsæ, quam haberet in naturalibus constitutus. Quo vel uno elisam vides totam illam Molinianæ doctrinæ machinam de lapsi hominis viribus, septem propositionibus expressam, de quibus in decem primis Congressibus, coram Clemente VIII. habitis, quæstio fuit: simulque firmatum vides victricis gratiæ fundamentum, ab Augustino millies positum, ac tum maxime libro De Correp. & Gratia, capitibus 10. 11. & 12. ubi ex vulnere, naturalibus viribus in-

sticho, indeclinabilis, atque insuperabilis gratiæ necessitatem derivavit.

Illos subinde altero Capitulo petit Cælestinus, ejusdemque Innocentii auctoritate configit, qui putant, sibi deberi, quod boni sint. En tibi alterum efficaci Gratiæ fundamentum, ab Augustino non semel usurpatum. Da enim, ut & Molina re ipsa dedit, duos homines, eadem versatili, atque indifferenti gratia pulsatos, quorum aliter, libero bene usus arbitrio, gratiæ indifferentiam, addito consensu, determinet, nullo uberiori auxilio percepto, quod bonum illum libertatis usum, atque consensum efficaciter operetur; alter vero protervo renifu cassam gratiam, atque inutilem faciat: prior certe sibi debet, quod bonus est, arbitrio, inquam, suo gratiæ indifferentiam fixit, seque ab altero discrevit, ut bonus esset; nulloque pacto susceptæ indifferenti, atque aequali gratiæ istud adscribit. *Gratia enim, ut sæpius inculcat Augustinus, que est communis bonis & malis, non fecerit bonos a malis.* Pone etiam Molinianam illam legem de Gratia, iis omnibus certissimo pacto conferenda, qui ex ipso naturæ penu admisi fuerint, suasque partes ex liberi arbitrii facultate præstiterint: sibi certe debet homo, quod bonus sit; utpote qui nature, liberique arbitrii comatibus, gratiam, qua bonus fieret, primum obtinuit.

Tertio Capitulo decernitur, *Neminem, etiam Baptismatis gratia renovatum, idoneum esse ad superandas diaboli insidias, & ad vincendas carnis concupiscentias, nisi per quotidianum adiutorium Dei perseverantiam bona conversationis acceperit.* Quod eo Innocentii I. oraculo munit: *Necesse est, ut, quo a auxiliante vincimus, eo iterum non adjuvante, vincamur.* Qua brevi, explicataque definitione, tota illa lascivientis ingenii fetura de tentationibus, ab homine renato quoad substantiam superandis ex solis naturæ viribus (qua de re nona, ac decima Congregatione coram Clemente disputabatur) elisa est. Is enim, ne quoad substantiam quidem, tentationem superare potest, qui tentatione necessario, hoc est, infallibiliter vincitur. Et ecce tibi alteram victricis, potentiorisque Gratiæ basim, ab Augustino positam, libro de Correptione, & Gratia, cap. 12. *Ut cum omnibus amoribus, terroribus, erroribus, vincatur hic mundus.*

Quarto aurea hæc sententia ponitur: *Quod nemo, nisi per gratiam, libero bene utatur arbitrio;* Moliniano systemati e diametro repugnans, primæque Scientiæ-Mediæ, Prædestinationisque, meritrix nixæ fundamenta suffodiens. Qua etenim forte, ex præscientia boni usus liberi arbitrii, facta vocatio fingitur, si nullus, nisi per gratiam, esse potest liberi arbitrii bonus usus? Ita plane ex hoc ipso principio colligit Doctor Angelicus 1. p. q. 23. art. 5. & Lectione 3. in caput 6. ad Romanos. De his videlicet extremas fuit Clemente Congregationes, capitibus 41. 42. 43. libri 3.

Quinto, ac sexto, ex Epistolis Zozimi, & Afro-rum Episcoporum Rescriptis varia ista sententia exprimitur: *Omnia studia, & omnia opera, ac merita Sanctorum ad Dei gloriam, laudesque referenda sunt; quia nemo aliunde ei placet, nisi ex eo, quod ipse donaverit . . . Ita in cordibus hominum, atque in ipso libero operatur arbitrio, ut sancta cogitatio, pium consilium, omniisque motus bone voluntatis ex Deo sit. . . in omnibus actibus, causis, cogitationibus, motibus, adiutor, & protector exorandus est. Jam si omnem motum voluntatis humanæ Divina Gratia operatur; sui igitur usum, motumque, quo Divina inspirationi consentit homo, operetur, necesse est. Non igitur homo gratiæ indifferentiam figit, uti victricis gratiæ oppugnatores hariolantur: sed hæc, vice versa, in-*

(1) Lib. De Cor. & Grat. c. 11. & 12. (2) Macedo, Gogotus, Contonsonius, Piccinardus, Salmanticens, Viro. Batoniis, Massiliens.

indifferentis, versatileque arbitrii potentiam indebit, determinatque in partem alteram. Quo gravi, efficacissimoque momento, victicis gratiæ necessitatem adstruit Augustinus libro de Gratia, & lib. arbit. capite 21. *Agit omnipotens in cordibus hominum etiam motum voluntatis eorum, ut per eos agat, quod agere ipse voluerit; qui omnino injuste aliquid velle non nocet.* Accedit alterum, hoc ipso quinto Capitulo insinuatum, quo Molinae systema attonsum est: Dei scilicet filios ita Spiritu Dei agi, ut nec nostrum desse sentiamus arbitrium, & in bonis quibusque voluntatis humanae motibus magis illius valere non dubitemus auxilium. Quapropter peccasse Molinam, Congregatione 57. sub Clemente VIII. probatum fuit, ubi potiores partes arbitrio tribuisse, convictus est.

Septimo, ex Decretis Concilii Carthaginensis regula ita præscripta: *Gratiam Dei per Jesum Christum, non propter hoc tantum nos adjuvare ad non peccandum, quia per ipsam nobis revelatur, & aperitur intelligentia Mandatorum, ut sciamus, quid appetere, quid vitare debeamus: verum etiam per ipsam nobis valere non dubitemus auxilium, etiam facere diligamus.* Quo principio nixus D. Augustinus lib. De Gratia Christi, cap. 14. ultra gratiam illustrationis, nudæque excitationis, quam unam Moliniani profitentur, efficacissimam, ac potentissimam operationis gratiam derivavit. *Legant ergo, & intelligent, intueantur, atque fateantur, non lege, atque doctrina, sonante fornicans, sed interna, atque occulta, mirabili, atque ineffabili potestate operari Deum in cordibus hominum non solum veras revelaciones, sed etiam bonas voluntates.*

Octavo, ex publicis Ecclesiæ supplicationibus, quæ bona omnia a Deo precatur, decernit: *Totum Divini muneris esse.* Atque hoc ipsum est, quod statuerat Augustinus, ut & gratiam efficacem adstrueret, & prædestinationem, omnia humanae voluntatis merita, dispositiones, conatus, condiciones anteverterem tueretur. Lib. 4. ad Bonitacium cap. 9. *Oramus non solum pro volentibus, verum etiam pro repugnantibus, & oppugnantibus. Quid ergo petimus, nisi ut fiant ex volentibus volentes, ex repugnantibus consentientes, ex oppugnantibus amantes? A quo? nisi ab illo, de quo scriptum est: Preparavit voluntas a Domino? Et alibi: Melius facimus, si totum Deo damus, & non illi ex parte, & nobis ex parte committamus.* Ruit ergo, non Augustino tantum, sed & Caestino iudice, ruinofum illud Moliniana Concordiæ fundamentum, de Deo, & libero arbitrio, causarum, ut loquitur, partialium rationem obtinentibus, in opere justificationis.

Nono, de iis, qui ad Baptismum accedunt, hæc regula ponitur: *Sive parvuli, sive juvenes ad regenerationis veniant Sacramentum, non prius fontem vite adeunt, quam exorcismis, & exsufflationibus Clericorum, spiritus ab eis abigatur immundus: ut tunc vere appareat, quomodo Princeps mundi hujus mittatur foras, & quomodo prius alligetur foris, & deinde vasa ejus diripiuntur, in possessionem translata Victoris, qui captivam ducit captivitatem, & dat dona hominibus.* Unde probatam vides invictam Augustini argumentationem, qua commentitiam puerorum, non ablutorum, felicitatem, a Pelagianis excogitatam, exsufflavit: quaque nos etiam lib. 4. cap. 21. idem illud figmentum, a Molina secundo profutum, de quo in Congregatione 9. sub Clemente verbum exciderat, eventulabimus.

Decimo tandem, & ultimo Capitulo, hanc ex statutis regulis summam colligit. *Hæc ergo Ecclesiasticis Regulis, & ex Divina sumptis auctoritate documentis, ita adjuvante Deo, confirmati sumus, ut omnium bonorum affectuum, atque operum, &*

omnium studiorum, omniumque virtutum, quibus ab initio fidei ad Deum tenditur, Deum fateamur Anteflorem; & non dubitemus, ab ipsius gratia omnia hominis merita proveniri, per quam fit, ut aliquid boni & velle incipiamus, & facere. Quo utique auxilio, & munere Dei non asertur liberum arbitrium, sed liberatur, ut de tenebroso lucidum, de pravo rectum, de languido sanum, de imprudente sit providum. Tanta enim erga omnes homines est bonitas Dei, ut nostra velle esse merita, que sunt ipsius dona; & pro his, que largitus est, æterna premia sit daturus. Agit quippe in nobis, ut, quod vult, & velimus, & agamus. Nec otiosa in nobis esse patitur, que exercenda, non negligenda, donavit: ut & nos cooperatores simus gratiæ Dei; ac si quid in nobis ex nostra viderimus remissione languescere, ad illum sollicite recurramus, qui sanat omnes languores nostros, & arripit de interitu vitam nostram, & cui quotidie dicimus: Ne nos inducas in tentationem, sed libera nos a malo. Quo vel uno Capitulo, si vacuo a præjudicis, & parium affectibus animo perpendatur, universam Augustini doctrinam de gratuita Prædestinatione, & Gratia per semetipsam efficaci, accurato compendio contentam, simulque attonsum Molinismum, nemo non dicet. En enim tibi gratiam, affectum omnium, studiorum, & operum operancium, omniæque merita, conatus, ac studia anteverterem. En gratiam in animabus nostris agentem, ut velimus, non quia volumus, aut consensuri prævidemus. En demum gratiam, voluntatis humanæ ducem, non pedessequam: gratiam, inquam, quam pro nutu non sectimur, sed que nos pro Dei nutu flectat, ut id omne velimus, & agamus, quod ipse voluerit.

Sed quid hæc scrupulosus moror? Illa ipsa toties decantata Capitulum clausula, unde Augustinum redactum in ordinem, eaque illius dogmata a positis Regulis omnino diffita, putant animi obtrectatores, utrumque non leviter adstruit. *Profundiores vero, difficiioresque partes incurrentium questionum, quas latius pertractant, qui hereticis resistunt, sicut non audemus contemere, ita non necesse habemus adstruere. Quia ad consistendam Dei gratiam, cuius operi, ac dignationi nihil penitus subtrahendum est, satis sufficere credimus, quidquid secundum prædictas Regulas, Apostolica Sedis nos scripta docuerunt: ut profus non opinemur Catholicam, quod apparuerit, præfixis sententiis esse contrarium. Profecto, si Divinae Gratia operi, ac dignationi nihil penitus subtrahendum est; arbitrio itaque virtutem ejus, ac liberalitatem fugit; non meritum, non dispositio, non conditio, non conatus, non ipse tandem liberi arbitrii consensus, & usus. Id porro concilia, si potis es, cum hæc Molinae assertione, que totius pene Concordiæ summa est, i. p. q. 23. disp. 1. Mem. 10. *Quod item e duobus, qui equali motu gratiæ conveniuntur, ac moventur, unus consentiat, concurrat cum gratia, eliciat actum, & convertatur, alter vero non; certe solum provenit ab innata, ac propria, & intrinseca libertate, utrisque, bonis, & malis, reprobis, & prædestinatis communi.* Et paulo infra: *Ex eodem capite affirmamus, quod auxilia prevenientis gratiæ efficaciam sint, aut inefficaciam ad conversionem, pendere ab eodem influxu, arbitrio proprio. Quod item unus cum equali auxilio gratiæ conveniunt, aut cum equalibus aliis donis, postquam est justificatus, intensius, aut remissius operetur; ferventius, aut tepidius; eaque de causa is, qui intente, ac fervide operatur, dignus efficiatur, cui plura peccata quoad penam dimittantur, & cui tribuantur dona, que a signibus asseruntur, utique ab influxu, ipsi arbitrio proprio, emanat: rationeque illius dicuntur, magis, aut minus strenue uti gratia, nempe**

que ea nobis oblata velle uti, aut non uti, adhibendo, aut suspendendo talem influxum nobis proprium. En quo pacto, repugnante Caestino, hæc ipsa in clausula, unde præfidium Moliniani petunt, quod potissimum est, gratiæ operi, ac dignationi subtrahunt; quemque adversus Augustinum patronum advocant, turpiter deserunt.

CAPUT V.

Petita ex Brevis Pontificis Innocentii XII., Theologus Lovaniensis inscripto, difficultas eliditur.

AGedum quid adversus lucidissimam veritatem, tot momentis statutam, tot rationibus confirmatam, objiciant, perpendamus. Uno se argumento exfolvit nuper Moliniani, ac plurimam segetem una falce metunt. Breve Pontificum Innocentii XII., Theologis Lovaniensibus inscriptum die 6. Februarii, 1694. de quo plura diximus lib. 1. cap. 11. a'ius essent, quo uno rem sibi integram restitutam, gloriantur. Hæc illius verba potissimum regeunt, initio posita, ut questiones, in jus vocatas, a Caestini Capitulis diffitas, probent.

Tradidit nobis, mensibus clapsis, dilectus filius JOANNES LIBERTUS HENNEBEL Epistolam vestram, datam die 7. Maii, anni præteriti, in qua humiliter postulatis, ut hujus S. Sedis auctoritate licitum vobis esset, ac liberum, continuare in tradenda doctrina Majorum vestrorum, que continetur in libro Censurarum Lovaniensis, & Duacensis Universitatum, una cum Apologia Universitatis Lovaniensis: Et ab eadem declarari, doctrinam de Gratia per se efficaci, & de Prædestinatione ante prævisa merita, nullis hætenus emanatis Apostolicis decretis damnatam, & enervatam esse; eaque proinde posse teneri, quousque Sancta Sedes ipsa aliter statuerit. Quæ in re vestram erga S. Petri Cathedrali observantiam, & reverentiam summopere collaudamus. Verum quia, ut S. Cælestinus ad Episcopos Gallie rescriptis, Profundiores, difficiioresque partes incurrentium in materia Divinae Gratia questionum, quas latius pertractant, qui hereticis resistunt, sicut non audemus contemere, ita non necesse habemus adstruere; nec arbitrari oportuim, ut in præfens habeatur exactior illa de Divinis Auxiliis tractatio, que a Prædecessoribus nostris Clemente VIII. & Paulo V. instituta fuit; cum ad consistendam gratiam Dei, cuius operi, ac dignationi nihil penitus subtrahendum est, satis sufficere credamus, quidquid Apostolica Sedes scripta docuerunt: Idcirco felicis recordationis Pauli V. & Urbani VIII. Decretis inherentes, &c.

Hinc duplex damnum nobis illatum, existimant: Primum, quod videatur Innocentius questionem de Gratia per se efficaci, & gratuita Prædestinatione, de quibus Doctores Lovanienses quaesiverant, incurrentium questionum loco ponere, quas, uti contemnerent non est ausus Caestinus, ita nec necesse habuit adstruere. Secundum, quod videatur, exactiorem Auxiliorum tractationem, sub Clemente VIII. & Paulo V. institutam, parvipendere; simulque innuere, satis abunde Divinae Gratia vim adstrui, defendi, explicari, atque a fidelibus credi posse, iis omisissis, atque neglectis questionibus, que in iis Auxiliorum Congregationibus fuerant tanta animorum contentione ventilata, modo ea firmiter teneantur, que nos Apostolica Sedes scripta docuerunt: quasi isthæc ab iis longe fecerentur, quæ sub illis Pontificibus disputata fuerant.

Damnum equidem maximum fecutum, fateor, si duo hæc ex Brevis Pontifici colligerentur:

gloriarum quippe possent Molinae vindicæ, se nunc, cum nec etiam id peterent, obtinuisse, quod olim, cum id maxime exoptarent, obtinere non poterant: scilicet a Sancta Sede decerni, suam sententiam minime ad fidem attingere, aut ipsi adverteri; sed eodem veluti gradu cum adversa sententia reponi, utramque probabilem pronunciari, atque inter illas questionibus ab Innocentio recentiori, quas nec contemere, nec adstruere opus esset: cum tamen olim instituta de Divinis Auxiliis Congregatio Molinae sententiam non contempsisset modo, verum etiam gravem illi Censuræ notam afflicisset. Verum, si res penitus perpendantur, ac singula Pontifici Rescripti verba ad erisim vocentur, nihil hujusmodi quidquam extundi potest.

Quod etenim primum attinet: id unum, ad difficultatem omnem amovendam, observare est. Nempe duo distincte, datis ad Innocentium Epistolis, postulaverant Theologi Lovanienses, uti suo ipso Rescripto testatur Pontifex: primum de Censuris Belgicis, eamque Apologia; alterum de duobus, Gratia scilicet per se efficaci, & gratuita Prædestinationis, dogmatibus. Duplici quaesito duplici Responso satisfacit Summus Pontifex, & utriusque quidem separatim, atque distincte, & ordine suo. Priori quaesito respondet iis Caestini verbis: *Profundiores, difficiioresque partes incurrentium questionum, quas latius pertractarunt, qui hereticis resistunt, sicut non audemus contemere, ita non necesse habemus adstruere.* Quo responso Gratiam per se efficacem, & gratuitam Prædestinationem non indigit nomine incurrentium questionum; sed alias longe diversas, quæ magno numero, ex occasione, & accessione quadam, in eo Belgicarum Censurarum Libro, præter illa duo dogmata, ex instituto vindicata, reperiuntur: videlicet de pena puerorum, sine Baptismo decedentium; de Gratia sufficientis distributione, de voluntate Dei antecedente, de ignorantia invincibili, de malis penæ, a Deo præordinatis: ut nihil dicam de inspiratione sententiarum, & verborum Sacrae Scripturæ. Quæ certe incurrentes questiones summo Pontifici causæ fuerunt, ne totum promissæ Censurarum Belgicarum librum expressi probaret, ut Lovanienses Theologi Apostolicæ Sedi supplicabant: fatique esse, ratus est Innocentius, si nec eas adstrueret, nec contemneret; uti de incurrentibus veterum Gratia Propugnatorum questionibus dixerat Caestinus. Quare imis summa miscet, qui eam Pontifici Rescripti partem, de nonnullis questionibus, in Belgicis Censuris occasione duntaxat delibatis, intelligendam, ad eas questiones malo animo referunt, que de industria, atque ex instituto pertractantur. Hæc de primo.

Tum alteri quaesito, de duobus Gratia per se efficaci, & gratuita Prædestinationis questionibus, seorsim, ac distincte respondet, dum addit: *Nec arbitrari oportuim, ut in præfens habeatur exactior illa de Divinis Auxiliis tractatio, que a Prædecessoribus nostris, Clemente VIII., & Paulo V. instituta fuit: quia ad consistendam Dei gratiam, cuius operi, & dignationi nihil penitus subtrahendum est, satis sufficere credimus, quidquid Apostolica Sedes scripta docuerunt.* Qua loquendi ratione tantum abest, ut vel parvipendat tractationem illam, sub duobus Pontificibus habitam, vel questiones, ad examen in ea vocatas, ab iis dogmatibus fecerent velit, que secundum Sedis Apostolicæ scripta (ne quid Gratia operi, & dignationi detrahatur) afferenda, teneandæque sunt, ut potius ab ea tractatione in presentia superscedendum arbitretur, quia ad eas, que inibi tractabantur, questiones eliquandas, satis, superque sufficiunt,